MASTER NEGATIVE NO. 93-81218-5

AUTHOR:

MULLER, IWAN PHILIPP EDUARD VON

TITLE:

QUAESTIONES CRITICAE DE GALENI LIBRIS...

PLACE:

ERLANGAE

DATE:

1871

Master Negative #

93-81218-5

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

88G13
TZ Müller, Iwan Philipp Eduard von, 1830-1917.
... Quaestiones criticae de Galeni libris Περὶ τῶν καθ' Ἱπποκράτην καὶ Πλάτωνα δογμάτων. Erlangae, typis J. P. A. Junge, 1871.
19 p. 26½ cm.


At head of title: R. Friderico-Alexandrinae literarum universitatis Prorector D. Carolus Hegel ... successorem suum civibus academicis commendat. Praemissae sunt Iwani Muelleri Quaestiones criticae ...


204366

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35mm REDUCTION RATIO: 13x
IMAGE PLACEMENT: IA ~~IIA~~ IB IIB
DATE FILMED: 4-5-93 INITIALS MGJ
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT






AIIM


Association for Information and Image Management
1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910
301/587-8202

Centimeter



Inches



MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

Müller

Quaestiones criticae

REGIAE FRIDERICO-ALEXANDRINAE

LITERARUM UNIVERSITATIS

PRORECTOR

D. CAROLUS HEGEL

HISTORIAE UNIVERSALIS PROFESSOR PUBLICUS ORDINARIUS

CUM

PROCANCELLARIO

RELIQUOQUE SENATU ACADEMICO

SUCCESSOREM SUUM

CIVIBUS ACADEMICIS

COMMENDAT.

PRAEMISSAE SUNT

IWANI MUELLERI

QUAESTIONES CRITICAE DE GALENI LIBRIS

ΠΕΡΙ ΤΩΝ ΚΑΘ ΙΠΠΟΚΡΑΤΗΝ ΚΑΙ ΠΛΑΤΩΝΑ ΔΟΓΜΑΤΩΝ.

ERLANGAE.
TYPIS JOANN. PAUL. ADOLPH. JUNGE ET FILII
MDCCCLXXI

In studiis Platonicis cum scholas de Republica Platonis habendi causa versarer, evolvebam saepius Galeni libros cum alios tum illos, quos de Hippocratis et Platonis placitis conscripsit, in quibus non paucos locos e Republica, Timaeo, Phaedro aliisque dialogis Platonicis laudatos esse scirem[1]). Sed perlegenti mihi totum

---

1) Sic e *Republica* exscripti sunt hi loci: 368 CDE 369 A *εἶπον οὖν ὅπερ μοι ἔδοξεν — ἐν τῇ τοῦ ἐλάττονος ἰδέᾳ ἐπισκοποῦντες* apud Kuehnium t. V. p. 727, 15—728, 16; 435 D *καὶ εὖ γ' ἴσθι — πλείων ὁδός* ap. K. p. 480, 18—481, 3; 436 B *δῆλον ὅτι ταὐτὸν — ἐθελήσει ἅμα* ap. K. p. 482, 9 et 797, 16—18; 436 C *ἑστάναι — ἀδύνατον* ap. K. p. 798, 3; ibid. *ἔτι τοίνυν ἀκριβέστερον — οὐχ οὕτως; οὕτως* ap. K. p. 798, 6—798, 11; 436 DE *οὐκοῦν, καὶ εἰ — οὐδαμῇ ἑστάναι* ap. K. p. 798, 14—799, 12; 437 BC *ἆρ' οὖν, ἦν δ' ἐγώ, τὸ ἐπινεύειν — πῶς γὰρ οὔ;* ap. K. 482, 12—483, 9 (512, 16—513, 1); 437 D *τί οὖν; — ἐκείνοις θήσομεν;* ap. K. 513, 3—513, 13; 438 AB *μήτοι τις — ἑκάστου μόνου* ap. K. 800, 12—800, 15; 439 BCD *τοῦ διψῶντος — ἡδονῶν ἑταῖρον* ap. K. 488, 17—490, 3; 439 E 440 A *ταῦτα μὲν τοίνυν — σημαίνει γάρ, ἔφη* ap. K. 491, 8—492, 4; 440 AB *οὐκοῦν καὶ ἄλλοθι — οὐ μὰ τὸν Δία, ἔφη* ap. K. 494, 1—494, 8; 440 CD *τί δέ; ἦν δ' ἐγώ — πραϋνθῇ* ap. K. 496, 8—497, 2; 440 E *ἆρ' οὖν ἕτερον — ἐπιθυμητικόν* ap. K 517, 11—517, 13; 441 A *ἢ καθάπερ — διαφθαρῇ* ap. K. 499, 3—499, 7; 441 AB *καὶ γὰρ ἐν παιδίοις — θυμουμένῳ* ap. K. 500, 1—500, 11; 451 D *τὰς θηλείας — κατὰ ταὐτό* ap. K. 735, 9—736, 3; 453 ABC *βούλει οὖν — ἀπολογεῖσθαι* ap. K. 736, 9—737, 5; 454 B — 456 C *κινδυνεύομεν οὖν — παντάπασιν μὲν οὖν* ap. K. 737, 7—741, 16; 572 A *ἀλλ' ἡσυχάσας μὲν — τὸ φρονεῖν ἐγγίγνεται* ap. K. 517, 15; 581 E *ὅτε δὴ οὖν — λέγει* ap. K. 517, 16—518, 1.

Ex Timaeo laudantur hi loci: 29 CD *ἐὰν οὖν, ὦ Σώκρατες — πέρα ζητεῖν* ap. K. 792, 10—17; 31 B *σωματοειδὲς — θεὸς ἐποίει* ap. K. 635, 11—15; 45 BCD *τῶν δὲ ὀργάνων — ᾗ δὴ ὁρᾶν φαμεν* ap. K. 629, 14 — 630, 15; 54 D *ἄρξει δὴ — μήκει* ap. K. 669, 14—16; 55 B *τὸ δὲ τρίτον — τριγώνους γέγονε* ap. K. 670, 1—4; 56 B *ἔστω δὴ — σπέρμα* ap. K. 670, 8—10; 58 C *μετὰ δὴ ταῦτα — καταλειπόμενον αὐτοῦ* ap. K. 629, 6—9; 66 E *μεταβάλλοντος — σύμπασαι* ap. K. 629, 1—3; 70 B *τὴν δὲ δὴ καρδίαν — ἡγεμονεῖν ἐῷ* ap. K. 581, 2—11 (292, 9; 575, 11; 573, 12); 70 C *τῇ δὲ δὴ πηδήσει — ἐνεφύτευσαν* ap. K. 292, 16—293, 3; ibid. — *παρέχοι* ap. K. 713, 14—714, 4; 70 DE *τὸ δὲ δὴ σίτων — ἔσεσθαι γένος* ap. K. 580, 7—14 (576, 5); 71 AB *θεὸς ἐπιβουλεύσας — ξυνέστησε* ap. K. 580, 15; 72 D *τὰ μὲν οὖν περὶ ψυχῆς — πεφάσθω* ap. K. 792, 19—793, 15; 72 E 73 A *τὴν ἐσομένην — ὑποδοχὴν ἔθεσαν* ap. K. 716, 16—717, 4; 77 B *μετέχει γε*

illud opus Galeni idem accidit, quod omnibus, qui hodie lectioni librorum eius operam dant: textum quem vocant permultis locis corruptum et depravatum quique longissime abesset a nitore et elegantia, qua nunc tot editiones scriptorum Graecorum florerent, cognovi. Itaque consilium cepi illos libros nimis diu neglectos castigare et emendare ob eamque rem excutere codices, quotquot mihi innotescerent; nam posteaquam editio Aldina illorum librorum in lucem missa est[2]), nemo eorum, qui postea eos cum ceteris Galeni operibus ediderunt, ad eorum recensionem codicem ullum inspexit, (nisi quod Caius, medicus Britannus, primi libri reliquias, quae in prioribus editionibus deerant, ex codice, qui nunc Cantabrigiae est, desumtas edidit), sed editio Basileensis[3]) pendet ex Aldina, Charteriana[4]) ex Basileensi, Kuehniana[5]) ex Charteriana, ita ut alius de-

---

μὴν — ὀμφαλοῦ ap. K. 516, 11; 78 AB *τὸ δ' ἐντεῦθεν — ξυνυφηνάμενος* ap. K. 705, 5—16 (717, 5; 717, 13); 78 E 79 A *ὁπόταν γὰρ — ῥεύματα* ap. K. 717, 17—718, 4; 79 ABC *πάλιν δὲ τὸ τῆς ἀναπνοῆς — δίοδον* ap. K. 710, 15—711, 13; 79 D *τὸ θερμὸν δὴ — ἰέναι* ap. K. 706, 10; 80 DE *καὶ διὰ ταῦτα — καλοῦμεν αἷμα* ap. K. 706, 12—707, 3; 82 ABC *τεττάρων γὰρ ὄντων — ξυμπέπτωκε* ap. K. 665, 9—680, 3; 83 ABC *ὅσον μὲν οὖν — ἴδιον* ap. K. 683, 8—684, 6; 83 C *ἰχὼρ — ἄγριος* ap. K. 700, 16—18; 83 CD *τὸ δ' αὖ — φλέγμα φαμέν* ap. K. 700, 13—701, 3; 85 A *τὸ δὲ λευκὸν φλέγμα — ἀποτίκτον* ap. K. 701, 4—8; 85 B *φλέγμα δ' ὀξὺ — καταρροϊκά* ap. K. 700, 13—15; *ὅσα δὲ φλεγμαίνειν — πάντα* ap. K. 684, 11—13 (700, 2—4); 85 BC *λαμβάνουσα μὲν — ἐμποιεῖ* ap. K. 700, 4—6; 89 E *καθάπερ εἴπομεν — κατῴκισται* ap. K. 517, 6; p. 90 A *τὸ δὲ δὴ περὶ τοῦ — ἡμᾶς αἴρειν* ap. K. 516, 13.

Ex Phaedro 229 D *ἄλλως μὲν — δεήσει* ap. K. 356, 15—357, 7; 261 E 262 A *ἡ ἀπάτη — παρέξεται* ap. K. 729, 14—730, 12 (721, 9; 721, 12—15); 263 ABCD *ἆρ' οὖν οὐ παντὶ — ἄριστα λέγεις* ap. K. 730, 17—732, 3; 265 CDE *ἐμοὶ δὲ φαίνεται — τρόπῳ χρώμενον* ap. K. 754, 4—15; 271 CDE 272 AB *ἐπειδὴ λόγου — κρατεῖ* ap. K. 755, 2—756, 8; 273 DE *ὥστ' εἰ μὲν — δυνατὸν ἀνθρώπῳ* ap. K. 756, 13—757, 1.

Ex Sophista 228 ABCD *δύο μὲν εἴδη — ἄμετρον θετέον* ap. K. 451, 16—453, 12. — Ex Theaeteto 184 D *δεινὸν γάρ που — ὅσα αἰσθητά* ap. K. 631, 11—15; 184 E 185 ABC *θερμὰ — αἰσθανόμενον ἕκαστα* ap. K. 631, 16—633, 6. Ceteros locos Platonicos, quorum non verba, sed sententiae a Galeno laudantur, h. l. omittendos putavimus.

2) *Galeni librorum Pars prima Venetiis in aedibus Aldi et Andreae Asulani soceri mense Aprili MDXXV.* Libri de Placitis hoc volumine continentur foll. 119—167.

3) *Galeni Pergameni — Opera omnia — Basileae MDXXXVIII.* pgg. 253—342.

4) *Operum Hippocratis Coi et Galeni Pergameni Tom. V Renatus Charterius Vindocinensis — edidit. Lutetiae Parisiorum MDCLXXIX.* pgg. 78—274.

5) *Medicorum Graecorum Opera quae exstant. Editionem curavit C. G. Kuehn. Vol. V Lips. 1823* pgg. 181—805.

inceps editor traditum ab alio textum passim coniecturis e suo ingenio profectis, non ad codicum fidem emendaverit. Quoniam autem Aldina ipsa non dubium est quin, ut in aliis libris, sic in his recensendis unius tantum codicis fundamento usa sit, operae pretium mihi facere visus sum, si, quod ab auctoribus Aldinae incohatum et imperfectum relictum esset, id nunc persequens pleniorem apparatum criticum exhiberem collatisque accuratissime manuscriptis novam librorum recensionem instituerem.

Codices autem, quos huic rei adhibui, hi sunt:

1) Venetianus sive Marcianus (M)
2) Florentinus sive Laurentianus (L)
3) Cantabrigiensis (C)
4) Excerpta Parisina priora (P)
5) Excerpta Parisina posteriora (p).

1) Marcianus Nr. 284 (cf. Zanetti et Bongiovanni Graeca D. Marci Bibliotheca p. 136) in folio, membran. foliorum 230 saeculi XV, qui olim Bessarionis Cardinalis fuit. Ipse eum contuli. In prima pagina leguntur tituli librorum, qui hoc codice continentur, hunc in modum: *γαληνοῦ τοῦ ἰατρικωτάτου περὶ τῶν καθ' ἱπποκράτην καὶ πλάτωνα δογμάτων βιβλία ἐννέα, ὧν ἐλλείπει τὸ πρῶτον — τοῦ αὐτοῦ θεραπευτικῶν βιβλία δεκατέσσαρα ἤτοι θεραπευτικῆς πραγματείας — τοῦ αὐτοῦ περὶ μελαίνης χολῆς — τοῦ αὐτοῦ περὶ τοῦ διὰ τῆς μικρᾶς σφαίρας γυμνασίου.* Iidem tituli latine redditi sunt a manu recentiore.

Libri, de quibus quaerimus, incipiunt a fol. 12 continuanturque ad fol. 83 primis undecim foliis excepta una pagina, quae titulum habet, a librario vacuis relictis, haud dubie ut implerentur libro primo, si forte in alio codice, unde describi posset, inveniretur. Cur autem decem fere folia vacua relicta sint, causa mihi videtur esse, quod, cum codex in quinterniones divisus sit, unus quinternio illi rei sufficere visus est. Codex nitide scriptus integer ad aetatem nostram permansit; literae rarissime evanidae, ut in fol. 57b, quo initium libri VI continetur, aut in fol. 60b (l. VII p. 617—621 ed. K.). In singulis foliis sunt quadragenae quaternae lineae stilo incisae, infra quas literae sunt appictae. Secundae manus eiusque recentissimae aut corrigentis aliquid aut supplentis vestigia perraro deprehenduntur, velut in fol. 14b lin. 18 (229, 9 K.), ubi ad *θέσι* adiectum est *ν*, idem in fol. 35a, 4 (395, 6 K.) ad *λέγει*; in fol. 22a, 12 (301, 11 K.) ad *τοιοῦ* addita est syllaba *τον*, in fol. 23a, 20 (311, 17 K.) ad *ῥῆ* syllaba *σις*; in fol. 39b (441, 14 K.), ubi librarius scripserat *διαφωνήσατα*, insertum est *ν* inter *α* et *τ*; in fol. 37b, 21 (433, 17) *οἵτ'* correctum est in *οἷςτ'*. In margine adnotationes atramento aut rubro aut nigro scriptae sunt. Illae ab alia manu, quae ta-

men non multo recentior manu librarii est[6]), hae a librario codicis ipso, aut, id quod rarissime fit, a manu aetate multo inferiore sunt profectae. Sed neque hae neque illae paucissimis exceptis ullius sunt pretii; nam, quae rubro scriptae sunt, maxima ex parte nihil aliud sunt nisi summaria brevia eorum, quae textu continentur, velut in fol. 14a ad lin. 5 (p. 228, 3 K.) *περὶ καρδίας τίνα ὑπάρχοντα αὐτῇ* (i. e. *αὐτῇ*, nam iota neque in contextu neque in adnotationibus subscribitur aut adscribitur), ibid. ad lin. 8 (228, 8) *περὶ θέσεως*, in fol. 14a ad lin. 14 (229, 1) *ὅτι ἡ φλεβώδης ἀρτηρία εἰς τοσαῦτα σχίζεται μόρια — ὅσοι περ ἂν ὦσιν οἱ τοῦ πνεύμονος λοιβοί*, aut animum lectoris adverti volunt ad ea, quae scitu digna videantur, velut in fol. 13b ad lin. 39 (227, 1. 2) *ὅρα τὰ γένη τῶν λημμάτων*; in fol. 22a ad verba textus *ὥςπερ καὶ Πλούταρχος ἐπέδειξεν ἐν τοῖς τῶν Ὁμηρικῶν μελετῶν* legimus adscripta *ὅρα ὅτι ὕστερος πλουτάρχου γαληνός*; huc pertinet nota *ση* vel *σῆ* i. e. *σημείωσαι* saepius apposita. Rarissime explanantur verba Galeni, velut in fol. 16a ad lin. 17 (246, 7): *οὐχ ὑπὸ τοῦ ἐγκεφάλου φησὶν ὁ γαληνὸς ἐκπέμπεσθαι* (sc. *τὴν φωνήν*), *ἀλλ' ὑπὸ τῆς ἐν κεφαλῇ κατ' αὐτὸν οὔσης αἰσθητικῆς καὶ λογιστικῆς ψυχῆς*, aut in fol. 13b ad lin. 1, ubi ad verba *τίς γίγνεται τόκος ἑκατοστὸς* (*ἑκατοσταῖος* Cant.) *Ἀττικῶν δισμυρίων πεντακισχιλίων ἑξακοσίων τριακονταεπτὰ* (Kuehn.; lege *τριάκοντα ἑπτὰ*) *μηνῶν τεσσαρεσκαίδεκα* haec adnotata legimus: *ἔστι .... τοκογλύφον ἐρωτᾶν, ὅτι ὁ δεῖνα ἐδανείσθη ἀπ' ἐμοῦ ἀττικοὺς στατῆρας δισμυρίους πεντακισχιλίους ἑξακοσίους τριάκοντα καὶ ἑπτά· ἔστι δ' ἐξ οὗ ταῦτα ἔλαβε μὴν τεσσαρεσκαιδέκατος, συνέθετο δὲ διδόναι τόκον ἐφ' ἑκάστῳ μηνὶ τὸ ἑκατοστὸν τῶν δισμυρίων εχ λζ τοὺς δέκα μῆνας καὶ τέσσαρας, πόσον τόκον ὀφείλω λαβεῖν.*

Fere eadem est ratio eorum, quae aut librarii ipsius aut posterioris cuiusdam lectoris manu nigro atramento sunt adnotata: aut indices sunt eorum, quae in textu tractantur, aut animum lectoris ad ea attentum faciunt; perraro indicant, si quid libra-

6) Semel tantum manus multo recentior rubro atramento in margine aliquid apposuit. In fol. 27b (350, 6 K.) codex habet *ὅθεν ὡς ὄντως τοιούτου*. Idem legitur in Aldina; Bas. Chart. Kuehn. praebent *ὅθεν ὡς ὄντος τοιούτου*. Manus autem illa in margine adnotavit: *οὐθ' ἑνὸς ὄντος τοιούτου*, haud dubie emendatura orationem corruptam Chrysippi. Mihi quidem locus sic restituendus videtur: *διαφέρουσι δ' ἐν τῷ, πῶς ταῦτα συνετελέσθη, πρὸς τὸν ἐνεστῶτα λόγον οὐδενὸς ὄντος τοιούτου* i. e. '*differunt in eo, quomodo haec confecta fuerint, quod tamen ad praesentem disputationem nihil facit.*' Quod si legis et interpungis cum Kuehnio: *διαφέρουσι δ' ἐν τῷ, π. τ. σ., πρὸς τὸν ἐνεστῶτα λόγον, ὅθεν ὡς ὄντος τοιούτου*, vide, quomodo verba impeditissima elucteris.

rius mendi admiserit, velut in fol. 14b ad lin. 9 (232, 13), ubi ille scripsit *εἰς στάσιν*, adnotatum est *γρ. εἰς τάσιν*; in fol. 59, 27 verbis *δὶς ταὐτόν* dittographia quaedam librarii notatur.

Codex ipse, si, quales sint eius lectiones et scripturae, accuratius examinaveris, ex libro descriptus videtur minus interpolationibus corrupto quam mendis aut ex Itacismo aut ex male intellectis compendiis scribendi profectis ceterisque vitiis in codicibus saeculorum XIII XIV XV pervulgatis depravato, qua de re alio loco disputabimus. Inprimis in archetypo, ex quo Marcianus originem ducit, non paucis locis literarum ductus aut non satis distincti clarique aut evanidi fuisse videntur, ut a librariis posterioris aetatis iam nequirent legi et cognosci, quorum si ipsorum literae aut obscurius scriptae fuerunt aut temporis iniuria obliteratae sunt, fieri non potuit quin in iis exemplaribus, quae ex horum libris descripta sunt, numerus eorum locorum, qui posteris non integri traderentur, auctus sit. Atque ex codice huius generis fluxisse Marcianus videtur, quippe in quo multae sint lacunae — sexaginta fere inveni —, quibus indicetur aut literas singulas aut verba, quin etiam versus integros prorsus intercidisse. Sed librarius ut in hac re observanda diligentissimus, ita in alia re neglegentissimus fuit. Non raro enim eodem vocabulo vel vocabulorum exitu brevi intervallo a Galeno repetito ita deceptus est, ut ad alium versum aberraret atque verba interiecta omitteret, velut in fol. 22b, 31 (308, 5 K.), ubi scriptum est *ἔστιν ὅτε δὲ οὐδέτερον εἰς τοσοῦτον ἰσχυρότερόν ἐστιν ὡς ἐφέλκεσθαι παραχρῆμα θάτερον ἐπ' Ὀδυσσέως μὲν*, pro iis, quae in Aldina leguntur: — *παραχρῆμα θάτερον, ἀλλ' ἐναντιοῦταί τε πρὸς ἄλληλα καὶ διαμάχεται καὶ νικᾷ τῷ χρόνῳ θάτερον, ἐπ' Ὀδυσσέως μὲν ὁ λογισμὸς κ. τ. λ.* Haec oculorum fraus quinquagies fere nobis occurrit.

Marciani lectionibus simillima est editio Aldina, quae et ipsa libro primo caret et spatia literis vacua habet cum illius lacunis congruentia. Inde conicere posses eam ex Marciano fluxisse, nisi et rariores quam ille haberet lacunas et eius quam modo notavimus neglegentiae expers esset atque textum praeberet pleniorem. Itaque ex alio orta est codice, qui descriptus videtur ex exemplari non tot obscuros literarum ductus habente quam illud videtur habuisse, quod Marciano propositum erat; sed tamen utriusque exemplaris origo ad eundem librum referenda est.

Ex alia familia atque Marcianus et Aldina oriundus est

2) Laurentianus LXXIV, 22, quem diligentissime contulit Henricus Kruse Holsatus. De quo codice Bandinius in Catalogo Bibliothecae Laurentianae T. III, 124: 'Continet hic codex optimae quidem notae, sed miserrime detruncatus pluribus in locis, varia Galeni opera, ex quibus quae temporis iniuriam evaserunt, ea sunt:

I p. 1 *Γαληνοῦ περὶ τῶν καθαιρόντων φαρμάκων* . . . . II p. 2b *Τοῦ αὐτοῦ περὶ φλεβοτομίας θεραπευτικόν* . . . III p. 9b *τοῦ αὐτοῦ περὶ φλεβοτομίας* . . . IV p. 15. Sequebantur olim fortasse Galeni de Hippocratis et Platonis placitis libri IX integri; sed nunc ob codicem male adfectum et mutilum supersunt tantummodo ea, quae sequuntur, nimirum libri secundi fragmentum incipiens a verbis *Χρύσιππόν τε καὶ Διογένην κ. λ.*, quae incidunt in cit. edit. [i. e. Charter.] Tom. V p. 99 [244, 10 K.], et progrediens usque ad finem; tum pag. 19b sequuntur duo fragmenta libri III, quorum primum incipiens ab initio progreditur usque ad verba *ἔνια μὲν γὰρ αὐτῶν ἀπὸ τῶν ὑπαρχόντων*, quae incidunt ibid. in p. 111 [286, 7]; alterum a verbis . . . *ἥμισυ μέρος αὐτῷ τῆς βίβλου κ. λ.* (edit. p. 112) [289, 4] usque ad verba *τοῖς φύσει θυμικοῖς ἔτι δὲ θη* . . . [*θηρί* . .] (edit. p. 117) [308, 3]. Haec autem postrema sunt paginae 21b, inter quam et sequentem folia octo vacua sunt inserta ad defectum supplendum. In hoc igitur immani codicis hiatu absorptus est integer liber IV et pars libri V usque ad verba *μὴ τοίνυν μηδὲ ἐπὶ τῆς ψυχῆς κ. λ.* (edit. p. 161) [446, 14], a quibus incipit pag. 22., progreditur autem usque ad finem libri. Sequitur tandem pag. 28. liber VI, qui una cum codice desinit imperfecte in verbis *ἐν πλέονι χρόνῳ φαίνεται γιγνόμενον*, quae incidunt in loco cit. pag. 184 [521, 4]. — Codex Graecus bombycinus Ms. in folio, saeculi XIV, diversa manu exaratus et miserrime pluribus in locis detruncatus, variis autem in margine notulis Latinis adspersus. Constat foliis scriptis 29.' Atque haec quidem Bandinius. Krusius in literis mense Octobri anni superioris ad me datis haec addit: 'Die Handschrift ist in ihrer jetzigen Gestalt aus folgenden Blättern zusammengesetzt: 9 foll. bombyc., 1 fol. chart., 4 foll. bomb., 1 fol. chart., 1 fol. bomb., 5 foll. chart., 8 foll. bomb., 8 foll. chart., 8 foll. bomb. Nicht beschrieben sind von diesen alle foll. chart. und das fol. bomb. 27 nach der weiteren Paginirung; diese umfasst nämlich alle 45 Blätter, die engere nur die 29 beschriebenen. An 4 Stellen finden sich Quaternionennummern und zwar am untern Rande der Rückseite der Blätter 8, 14, 21, 29 (engere Zählung) die Zahlen xxviii, xxx, xxvi und xxviii. Vollständig erhalten sind von diesen 4 Quaternionen noch der erste, dritte und vierte; in dem dritten nämlich ist das unbeschriebene fol. bomb. nicht etwa für ein verlorenes, ursprünglich beschriebenes, später eingeschoben; dies würde eine Lücke von 9 (Halb-) Seiten der Kühnschen Ausgabe voraussetzen, während doch unzweifelhaft nur die 2½ Seiten p. 286, 8 bis 289, 3 fehlen. Der Abschreiber wird also wohl in seinem Archetypon eine Lücke angesetzt gefunden haben und hat aufs Geradewohl für etwaige spätere Ausfüllung ein ganzes Blatt offen gelassen. — Statt der 8 zwischen Quarternio 26 und 29 eingeschobenen Papierblätter hätten für diesen Zweck 16 eingefügt werden müssen;

diese würden eben der Lücke von 152 Seiten der Kühn. Ausg. entsprechen. Die Quaternionen 26 und 29 sind von derselben Hand sorgfältig und regelmässig geschrieben, die beiden voranstehenden, wenn auch gleichzeitig und auf demselben Stoff und in demselben Format, weit flüchtiger und ungleichmässiger, vielleicht von verschiedenen Händen. Sind nun die Quaternionennummern von Anfang an dagewesen — und die Züge entsprechen durchaus denen des überstehenden Textes, — so können nicht etwa die jetzt mit 28 und 30 bezeichneten Quaternionen ursprünglich vor und nach dem jetzt erhaltenen 29. gestanden haben; denn nach dem eben Bemerkten ist es mehr als wahrscheinlich, dass durch einen verloren gegangenen Quaternio 28 mit vorangehendem Qu. 27 die Lücke in der Schrift de placitis ausgefüllt war; und ebenso wird ein anderer als der jetzt erhaltene Quint. 30 sich nach 29 mit Fortsetzung derselben Schrift angeschlossen haben. Es ist dabei auch zu bemerken, dass die Nummer 30 durchstrichen ist.' — Capiteleintheilungen kommen nicht vor, auch in den dialogischen Partieen keine Personenbezeichnung. Vor den Zeilen, welche Citate enthalten, finden sich Anführungszeichen, bei Citaten aus Dichtern keine Zeilenunterbrechung (Eadem in Marciano observavimus). Jota subscr. fehlt fast durchweg. — Durch spätere Beschädigung ist eine Anzahl Stellen verloren gegangen, so namentlich zweimal eine Reihe aufeinander folgender Zeilenschlüsse durch Abreissen des inneren Randes.'

Arctissime cohaeret cum codice Laurentiano

3) Cantabrigiensis n. 47. Hunc contulit Martinus Schanz, professor Wirceburgensis, qui cum auctumno superioris anni Oxonii, ut codicem Platonicum Clarkianum excuteret, versaretur, precibus meis adductus Cantabrigiam profectus est, ut Galeni codicem conferret. Cuius insigni humanitati, quam cumulavit incredibili excutiendi codicis diligentia, gratias ago quam maximas. — Describitur autem codex in Catalogo Smithiano (Catalogue of the Manuscripts in the Library of Gonville and Caius College, Cambridge. By J. J. Smith. 1849) p. 15 his verbis: 'N. 47. Galeni opera quaedam . . 140 foll. 1) *ΓΑΛΗΝΟΥ περὶ τῆς ἰατρικῆς* . . 80 foll.; 2) *περὶ χρείας μορίων* . . 49 foll.; 3) *περὶ τῶν Πλάτωνος καὶ Ἱπποκράτους δογμάτων* lib. 1—4, liber primus est *ἀκέφαλος*, 9 foll.; 4) *περὶ ἑπταμήνων παίδων* 2 foll. Folio, vellum paper. Stamped leather covers of the 15th (early) century. — Text in single column. Initials coloured and flourished in red and yellow ink with head and tail pieces. One of Dr. Caius Collection.' Tertii operis descriptio minus accurate facta est. Nam libri primi reliquias non sequuntur tres libri integri, sed, ut Schanzii collatio me docuit, partes tantum librorum II et IV; illius fragmentum ab initio libri usque ad verba *καθάπερ καὶ νῦν ἀπέ-*

δειξα (244, 10 K.) pertinet, huius a verbis *καὶ κατὰ μὲν τὴν ἐξήγησιν* (379, 1) usque ad verba *τὴν ἡδονὴν ἀγαθὸν εἶναι* (388, 2); liber tertius deest.

His praemissis quaeritur, quaenam schedarum Laurentianarum, quatenus libros, de quibus agimus, continent, cum Cantabrigiensibus sit necessitudo. Res ita se habet: Schedae Laurentianae, ut ex descriptione Bandinii et Krusii patet, duos quaterniones totius operis Galeni complectuntur, quorum alter a libri secundi verbis *Χρύσιππόν τε καὶ Διογένην* (244, 10 K.) incipiens usque ad libri tertii verba *ἔτι δὲ θηρί | ων* (308, 3) extenditur, nisi quod folium sextum quaternionis vacuum relictum est ad lacunam explendam, quae nunc pertinet a verbis *τῷ μορίῳ λαμβάνεσθαι* usque ad verba *τὸ μὲν γὰρ ἥμισυ μέρος* (286, 8—289, 4); alter a libri quinti *μὴ τοίνυν μηδὲ* (446, 14) incipiens usque ad libri sexti verba *ἐν πλέονι χρόνῳ φαίνεται γιγνόμενον* (521, 4) progreditur. Cum ille numeratus sit vicesimus sextus, hic undetricesimus, efficitur codicem integrum praeter libros de placitis alia Galeni opera comprehendisse, quae ordine illis antecederent; nam librum primum et secundi eam partem, quae usque ad verba *Χρύσιππόν τε καὶ Διογένην* progreditur, verisimillimum est non plus duos quaterniones potuisse complecti; illa opera autem, quae olim praecesserint, non eadem fuisse, quorum nunc in codice extent fragmenta, rectissime Krusius statuit. Laurentianus igitur, qualis nunc est, pro centone habendus est ex pannis diversorum codicum misere dilaceratorum consarcinato.

Schedae Cantabrigienses constant ex foliis novem, i. e. ex uno quaternione et uno folio alius cuiusdam quaternionis. Ille continet, uti supra diximus, libri primi quae supersunt et libri secundi partem usque ad verba *καθάπερ καὶ νῦν ἀπέδειξα* (244, 10) continuat; a verbis autem, quae consequuntur, *Χρύσιππόν τε καὶ Διογένην*, incipit codex Laurentianus. Terminatur igitur quaternio codicis Cantabrigiensis ibidem, unde codicis Laurentiani quaternio prior incipit; inde non dubium est, quin schedae Laurentianae et Cantabrigienses olim coniunctae unius codicis partes fuerint[7]) atque octo illa folia Cantabrigiensia quaternionem vicesimum quintum totius codicis vel secundum

7) Huic sententiae non obstat, quod Bandinius codicis Laurentiani aetatem ad saec. XIV, Smithius Cantabrigiensis ad s. XV refert; nam praeterquam quod Smithio nihil fere auctoritatis tribuendum est, quippe qui parum diligens in describendo codice fuerit neque diversitatem manuum, quibus singula opera, e quibus Codex nunc constat, scripta sunt, curaverit, difficile est, nisi quis certissimis argumentis adiutus erit, iudicare, utrum codex aliquis ineunte saeculo XV an exeunte XIV scriptus sit.

librorum de Placitis effecerint. Folium nonum, quo fragmentum libri quarti (379, 1—388, 2) continetur, mihi folium primum quaternionis duodetricesimi videtur fuisse. Nam qui desunt in Laurentiano inter duos qui nunc extant olim interiecti quaterniones, ii expleturi erant paginas editionis Kuehnianae 138, ut singuli quaterniones plus minus sexagenarum novenarum paginarum Kuehn. essent. Ergo quaternio XXVII a pag. 308 usque ad pag. 377 ed. K. vel potius, cum in eum exitus libri III et initium libri IV incideret, paululum longius porrectus sit necesse est. Quoniam autem folium nonum Cantabrigiense a p. 379, 1 ed. K. orditur, cui dubium videri poterit, quin illuc desierit quaternio XXVII atque novus inde inceperit, cuius folium primum est illud Cantabrigiense? Servantur igitur in duabus urbibus duarum nationum disiecta membra unius corporis, Florentiae duo quaterniones (XXVI et XXIX), Cantabrigiae quaternio XXV et folium unum quaternionis XXVIII eiusdem codicis.

Quo tempore illud corpus dilaceratum sit, accurate quidem nequit definiri, sed illud tamen pro certo haberi potest factum esse ante annum p. Ch. n. 1544. Nimirum hoc anno prodiit Basileae liber Joannis Caii Britanni, qui inscribitur '*Cl. Galeni Pergameni nobilissimi medici libri aliquot graeci partim hactenus non visi partim a mendis quibus scatebant innumeris ad vetustissimos codices repurgati et integritati suae resituti annotationibusque illustrati per Joannem Caium Britannum, Medicum.*' In libris 'hactenus non visis' est 'Galeni liber primus *περὶ τῶν Ἱπποκράτους καὶ Πλάτωνος δογμάτων* Graecus iam primum inventus et per Joannem Caium in latinum sermonem versus', quem librum si contuleris cum schedis Cantabrigiensibus, statim intelleges ex nullo alio codice a Caio desumtum esse. Congruit initium, nisi quod codex a verbis *τὸ πάμπαν. ἀλλὰ κἀκεῖνον*, Caii liber a verbis *Ἀλλὰ κἀκεῖνον* incipit, scilicet ut ex iusto enuntiato constet initium; congruunt lectiones paucissimis exceptis, ubi Caius textum aut bene aut male emendavit; post librum primum sequitur argumentum graecum libri secundi prorsus iisdem verbis, quibus in codice Cantabrigiensi scriptum extat. Hunc igitnr codicem Caius cum aliis libris manuscriptis illo anno acquisivisse videtur, quo Italiam peragravit, i. e. anno 1543; anno insequenti Basileae, ubi sex annis ante nova editio operum Galeni in lucem mitti coepta erat, in libro, quem modo laudavimus, fragmentum libri primi, quod antea nondum cognitum erat, typis describendum curavit, schedas illas cum aliis coemtis codicibus Cantabrigiam asportavit, atque restaurati a se collegii Gonviliani bibliothecae inseruit[8]). Quo igitur anno eas

8) Quoniam vita huius medici nobilissimi eiusdemque humanitatis studiis deditissimi philologis minus nota videtur, apposui ea, quae de ea leguntur in *Diction. des sciences médicales*

comparavit, illo verisimile est iam laceratum fuisse codicem, in quo integri erant libri novem Galeni de Placitis. Iam nihil ad aetatem nostram pervenit praeter tres quaterniones e duodecim fere quaternionibus, e quibus avulsis utrum unus alterve in bibliotheca aliqua delitescat necne, compertum non habeo. Quanto autem detrimento iis, qui illos libros emendaturi sunt, codex 'manibus nefandis' dilaniatus sit, eius rei vel ex iis, quae supersunt, coniecturam facere possis. Quamquam enim codex ex eo exemplari originem duxisse videtur, quod ipsum, ubi archetypus difficilis erat lectu, correctoris manum expertum erat, tamen schedae Laurentianae et Cantabrigienses saepe solae veram lectionem aut eius vestigia saltem praebent cum multis aliis locis tum iis, qui in codice Marciano et in editione Aldina spatia vacua habent, cuius rei postea nonnulla exempla afferemus. Nunc transeamus ad

4) et 5) Excerpta Parisina priora et posteriora, quae ipse anno superiore contuli, Parisiis cum essem, tribus mensibus, antequam bellum cum Francogallis exarsit. Atque illa quidem extant in codice chartaceo Nr. 2277 (cf. Catal. codd. manuscr. bibl. reg. t. II, 476) saeculo sexto decimo scripto in 8°, in quo excerpuntur 1) Galeni ars medica, 2) Theophrasti de piscibus, ventis et odoribus liber, 3) Aristotelis (?) de Xenophane, Zenone, Gorgia liber, 4) Theophrasti de igne, Metaphysica,

---

(Biographie médicale) t. V, 421 (Paris. 1822): 'Key ou Kaye (Jean), plus généralement connu sous son nom latinisé de Cajus, naquit à Norwich, dans le comté de Norfolk, en Angleterre, le 6 octobre 1510. Après avoir reçu les premiers élémens d'une éducation libérale en cette ville, il fut envoyé fort jeune à Cambridge, où il étudia la médecine. S' étant ensuite rendu en Italie, il se livra pendant quelque temps à l'anatomie, avec Vésale, dans la même maison qu'il logeait à Padoue, et prit le grade de docteur à Bologne. En 1542, de concert avec Colombo, il donna des leçons publiques sur le text grec d' Aristote, à Padoue. L'année suivante, il parcourut la plus grande partie de l'Italie ('il visita un grand nombre de Bibliothèques et y deterra les ouvrages de divers auteurs qui étoient presque perdus et les publia avec ses corrections' Chaufpiée t. II s. v. Caius), et reprit la route de l'Angleterre par la France et l'Allemagne. De retour dans sa patrie, il se fit agréger au Collége des médecins de Cambridge, puis il pratiqua l'art de guérir à Shrewsbury et Norwich. Les succès qu'il obtint étendirent tellement sa réputation qu'il fut appelé à la cour, et nommé médecin d' Edouard VI, place qu'il remplit depuis auprès de la reine Marie et de la reine Elisabeth. En 1547, il fut admis parmi les membres du Collége des médecins de Londres, dont il devint le doyen 1559. Il mourut le 29 juillet 1573.' 'Protégeant les lettres, il fit reconstruire à ses frais l'ancien collége de Gonvil à Cambridge et y créa vingt-trois bourses.' *Nouvelle Biographie Générale Paris 1855 t. VIII, 138.* cf. *Camdenii Rerum Angl. Annales regnante Elisabetha. Lugd. Batav. 1639 p. 255.*

de lapidibus et sudoribus, 5) denique Galeni de Hippocratis et Platonis dogmatibus libri II—IX. Haec excerpta alia manu scripta sunt quam ea quae antecedunt. Exscripti autem sunt hi loci: Ex libro secundo

1) *εἰ γὰρ ἐν μὲν τῷ διανοεῖσθαι* 271, 3 — *κατὰ τὸν ἐγκέφαλόν ἐστιν* 272, 5;
2) *τὸ μέντοι πρῶτον* 277, 13 — *ἀπροαιρέτου τὴν καρδίαν* 278, 6;
3) *καὶ αὐτὸς ἐπιλαθόμενος* 283, 4 — *κινεῖ δὲ τὸ πνεῦμα* 283, 10.

Ex libro tertio

4) *Χρύσιππος* 287, 13 — *ὁ τόπος ἡμᾶς* 288, 16;
5) *σαφῶς ἅμα καὶ* 289, 9 — *ἀλήθειαν σπουδάζουσιν* 290, 4;
6) *ἐν ταύτῃ τῇ ῥήσει* 292, 2 — *ἰδέαν ἐνεφύτευσαν* 293, 3;
6) *Πλάτωνος μὲν γὰρ* 294, 15 — *πιθαναῖς χρῆσθαι* 295, 8;
8) *οὐχ ὅπως γὰρ Εὐριπίδης* 318, 18 — *ἐπαΐειν αὐτῶν* 319, 17;
9) *οὐ γὰρ πρὸς Χρύσιππον* 337, 4 — *ἑτέρᾳ δὲ λογίζεσθαι* 337, 11.

Ex libro quarto

10) *σαφέστατα διὰ τῶν τοιούτων* 363, 12 — *καὶ καρδίᾳ* 363, 18;
11) *καίτοι καὶ τοῦ Πλάτωνος* 421, 5 — *γέγραπται πρὸς αὐτοῦ* 421, 11;
12) *οὕτω γὰρ ἥ τε τοῦ λόγου μάχη* 425, 9 — *τελεώτερον αὐτό* 425, 17.

Ex libro quinto

13) *ἔστι γὰρ ἡ νόσος* 441, 17 — *οὐ χαλεπὸν καταμαθεῖν* 442, 5;
14) *ἡ δ' ὑγίεια* 449, 15 — *ὑγίειαν ἐργάζεται* 450, 6;
15) *μὴ δυνάμενος ἀκριβῶς* 449, 18 — *μνημονεύσω ῥήσεων* 454, 6;
16) *τὸ μὲν δὴ τὰς δυνάμεις* 454, 15 — *ἐφεξῆς εἰρήσεται* 455, 6;
17) *ταῦτά τοι καὶ ὁ Ποσειδώνιος* 466, 9 — *εὐπειθές* 466, 17;
18) *τούτου δ' αὐτοῦ* 467, 8 — *διδασκαλίας λογικῆς* 467, 14;
19) *τῶν μὲν γὰρ ἀλόγων* 467, 16 — *συνεκκλίνοντος φέρεσθαι* 469, 15;
20) *μεταβήσομαι δ' ἤδη* 479, 14 — *πῶς γὰρ οὔ;* 483, 8.

Ex libro sexto

21) *ὁ μὲν οὖν Πλάτων* 515, 12 — *λόγος ἀποδείξει* 516, 6;
22) *ὡς οὖν ἀρτηριῶν* 573, 8 — *θυμοειδοῦς δυνάμεως* 575, 9;
23) *τὸ δὲ ἐξ ἥπατος* 576, 3 — *αἵματος γένεσιν* 576, 11;
24) *ἀλλ' οἰκειότερον* 577, 13 — *τὴν καρδίαν θερμοῦ* 582, 3.

Ex libro septimo

25) *χρὴ γὰρ ἄρξασθαι* 593, 5 — *γίγνεται τετάρτη* 594, 3;
26) *ἐν μὲν οὖν τοῖς ἀλόγοις* 595, 3 — *μηδὲ λόγου* 595, 9;
27) *γινώσκουσα μὲν ψυχὴ* 596, 4 — *Ἀρίστωνος δόξα* 596, 9;

28) *τὸν τῆς ψυχῆς* 599, 6 — *ἀγαθῶν τε καὶ κακῶν* 599, 11;
29) *βέλτιον οὖν ὑπολαβεῖν* 606, 7 — *παραχρῆμα τὸ ζῶον* 606, 15;
30) *τὸ τῶν ὀσμῶν γένος* 628, 17 — *αἰσθανόμενον ἕκαστα* 633, 6;
31) *ταυτὶ μὲν οὖν ὀρθῶς* 638, 7 — *τῇ κόρῃ* 639, 11;
32) *εἰ δὲ καὶ περὶ ψυχῆς* 643, 12 — *κοινωνίαν λαμβάνει* 643, 18.

Ex libro octavo

33) *ἀλλ' ἐνταῦθα* 665, 4 — *παρέξεται* 667, 3;
34) *τῶν δὲ στοιχείων προσωτέρω* 667, 11 — *τὴν γένεσιν ἐξ αἵματος ἔχοντες* 672, 13;
35) *τὸ μὲν δὴ λευκὸν* 682, 10 — *ὀξὺς καὶ ἄγριος* 684, 17;
36) *τὸ μὲν οὖν ἐκ πυρὸς* 697, 9 — *καὶ λιπαρότητα* 702, 1;
37) *λέγοντος οὖν Ἱπποκράτους* 702, 8 — *ὀνομάζει* 702, 10;
38) *νῦν οὖν ἀρκέσει* 705, 2 — *κεχρωσμένον τὸ αἷμα* 719, 13.

Ex libro nono

39) *δεῖ τὸν μέλλοντα* 721, 9 — *ἀδύνατον* 721, 15;
40) *φαίνεται γὰρ* 727, 2 — *ἐπισκοποῦντες* 728, 16;
41) *ὅπως οὖν χρὴ* 729, 8 — *παρέξεται* 730, 12;
42) *ὅτι δ' ὡς Ἱπποκράτης* 730, 12 — *παραλλαγήν* 732, 8;
43) *πάμπολλα δ' ἐστὶ* 752, 2 — *τῶν νοσημάτων* 761, 2;
44) *πρὸς γὰρ τὸν ἐρόμενον* 773, 9 — *κατὰ τὴν ὁμοίου γνῶσιν* 774, 4;
45) *ὁ γὰρ ἐπαινούμενος* 775, 4 — *τῶν ἰδίων* 775, 16;
46) *ὥςτε κἀκεῖνος ὁ λόγος* 776, 8 — *μεθόδοις* 776, 12;
47) *καὶ διὰ παντὸς* 791, 3 — *γεννητόν* 791, 12;
48) *ὅτι μὲν ἄκρας* 791, 17 — *φάναι* 793, 5;
49) *καὶ περὶ αὐτῶν* 793, 16 — *ἐνεργοῦσι μόνον* 794, 6;
50) *πότερον δὲ καὶ* 794, 11 — *τῆς πρακτικῆς* 794, 18.

Codex, ex quo haec excerpta sunt, satis bonus eiusdem familiae, cuius Marcianus et codex editionis principis, fuisse videtur. Praeter manum librarii duae aliae manus in libro reperiuntur: una aetate non multo inferior, quae in margine argumenta eorum, quae excerpta sunt, adscripsit; altera eaque recentior, quae, quamquam perraro, correctiones mendis librarii adhibuit: illius adnotationes fulvo, huius nigro atramento scriptae sunt.

Excerpta Parisina posteriora sunt in codice chartaceo Nr. 2283, quo continentur viginti quatuor excerpta e variis Galeni tractatibus, quorum index praemittitur. Is codex saeculo decimo sexto exaratus videtur. cf. Catal. codd. m. bibl.

reg. II, 476 b. Loci e Galeni de Placitis libris II—IX electi in angustissimum coacti sunt; literarum formae manu tam veloci factae, vix ut legi possint.

His subsidiis usus sum ad Galeni libros de Placitis emendandos; quae quamquam non magna videntur, tamen, quantum utilitatis ad vitiosum textum Kuehnianum corrigendum habeant, cum ex multis aliis tum ex his quae sequuntur exemplis, quae ad certum quoddam genus vitiorum referuntur, cognosci potest.

P. 220, 15 K. leguntur: *καὶ ταύτῃ διήνεγκεν ἐπιστημονικὸν δείξεως λῆμμα ῥητορικοῦ τε καὶ γυμναστικοῦ καὶ σοφιστικοῦ*. Galenus docuit duo esse genera probationum, unum earum, quae ex ipsis visceribus rei, de qua quaeritur, sumerentur, alterum earum, quae essent extrinsecus allatae et adventiciae; illud esse *ἐπιστημονικόν*, hoc aut *ῥητορικὸν* aut *γυμναστικὸν* aut *σοφιστικόν*. Quid igitur h. l. vult *δεῖξις*? In codice Marciano post *ἐπιστημονικὸν* spatium vacuum tres quatuorve literas expleturum relictum est, deinde sequitur *δείξεως*. In codice eo, ex quo editio princeps nata est, eandem parvulam lacunam fuisse suspicor, quam cum non observarent Aldinae auctores, ediderunt *ἐπιστημονικὸν δείξεως*; idem habet suspensa ex Aldina editio Basileensis, deinceps Charteriana et Kuehniana, parum secura de huius lectionis perversitate. Cantabrigiensis solus id, quod quisque cognita parvula illa Marciani vacuitate divinare potest, praebet: *ἀποδείξεως*.

P. 222, 13 K.: *ὥςτε, ὅστις ὁτιοῦν ἀποδεικνύναι πειρᾶται, πρῶτα μὲν χρὴ τοῦτ' ἐγνωκέναι, τὴν διαφορὰν τῶν λημμάτων αὐτῶν, εἶθ' ἑξῆς χρόνῳ πολλῷ γεγυμνάσθαι, λέγοντος μὲν ἑτέρου, γνωρίζειν αὐτὰ ποίου γένους ἐστὶν ἐκ τῶν εἰρημένων, μὴ λέγοντος δὲ ἑτέρου, ταχέως ἔστιν εὑρίσκειν αὐτὸν εἰς ἕκαστον τῶν προβληθέντων.* Structura per illud *ἔστιν* impeditissima est. Marcianus post *ταχέως* spatium vacuum octo fere literarum reliquit, deinde exhibet *σκειν αὐτὸν*; Aldina, Basileensis, Charterius, Kuehnius dederunt: *ἔστιν εὑρίσκειν*. Mihi quidem non dubium est, quin auctores Aldinae illud *ἔστιν* non in codice suo invenerint, sed mera coniectura inseruerint totam enuntiationis conformationem sublaturum. Cantabrigiensis rectissime: *ταχέως ἐξευρίσκειν;* nam Infinitivus, ex aequo positus cum *γνωρίζειν*, est consecutionis, quam illud *γεγυμνάσθαι* affert. Quo restituto locus sic interpungendus est: . . . . *γεγυμνάσθαι, λέγοντος μὲν ἑτέρου γνωρίζειν αὐτὰ ποίου γένους ἐστὶν ἐκ τῶν εἰρημένων, μὴ λέγοντος δὲ ἑτέρου ταχέως ἐξευρίσκειν αὐτὸν κ. τ. λ.*, hoc sensu: *'Quamobrem qui aliquid demonstrare conatur, is primum debet differentiam sumtionum ipsarum cognitam habere, deinde multa diuturnaque exercitatione id assequi, ut, si alius (de re aliqua proposita) dixerit, ex quo quidque (eorum, quae dixerit) genere (sumtionum) sumtum sit,*

ex dictis agnoscat, si nemo dixerit, statim ipse possit invenire, quod ad quamlibet rem propositam accommodatum sit'.

P. 241, 4. Disputat Galenus de errore Stoicorum vocis respirationisque principium a corde, non a cerebro proficisci censentium, qui error inde natus esset, quod hoc effato uterentur, omnibus functionibus esse originem ex propinquis membris. *Ἀλλ' οὔτε πρὸς αἴσθησιν οὔτε πρὸς νόησιν ἐναργές ἐστιν, ὡς πρῶτόν τε καὶ ἐξ ἑαυτοῦ πιστὸν εἶναι,* (sic interpungendum est) *τὸ νῦν εἰρημένον ἀξίωμα, τὸ πᾶσι τοῖς ἐνεργοῦσιν ἐκ τῶν πλησίον εἶναι τὴν ἀρχήν· οὐθ' ὅτι πλησίον ἐστὶ καρδίας τὰ φωνητικά τε καὶ ἀναπνευστικὰ μόρια, διὰ τοῦτ' ἐκ καρδίας αὐτοῖς ἡ ἀρχή.* Suspectum est illud *οὔθ'*, nam neque ad *οὔτε πρὸς αἴσθησιν οὔτε πρὸς νόησιν* referri potest neque hoc loco aptum esse, quod enuntiatum posterius cum priore nectat; illud vetant leges grammaticae, hoc logicae: nam quod negatur, quia vocis et respirationis membra iuxta cor sita sint, idcirco ex corde ortum illorum esse, id efficitur demum ex eo, quod illud axioma, *πᾶσι τοῖς ἐνεργοῦσιν ἐκ τῶν πλησίον εἶναι τὴν ἀρχήν,* neque sensui neque intellectui ita evidens, ut vel primarium vel ex sese probabile esset, dictum est. Itaque vitium aliquod latet in illo *οὔθ'*. Marcianus in textu signum lacunae post *εἶναι τὴν ἀρχὴν* habet et in margine dextra eadem manu scriptum: *λείπει.* Etiam auctores editionis Aldinae in codice suo idem signum invenisse videntur ob eamque rem et ipsi signo notaverunt aliquid h. l. intercidisse; idem fecit editor Basileensis. Sed Charterius et Kuehnius id prorsus neglexerunt atque locum sic ediderunt, quasi omnia iusta et perfecta essent. Sed quae in codicibus unius familiae exciderant verba, ea codices alterius familiae servaverunt: Cantabrigiensis post *εἶναι τὴν ἀρχὴν* haec habet: *οὔκουν οὔθ' ὅτι πλησίον [ἐγκεφάλου τὰ ὦτα καὶ οἱ ὀφθαλμοὶ καὶ αἱ ῥῖνες, ἐντεῦθεν αὐτοῖς ἡ τῆς αἰσθητικῆς δυνάμεώς ἐστιν ἀρχὴ οὔθ' ὅτι πλησίον] ἐστὶ καρδίας κ. τ. λ.* Ex his simul vides causam omissorum in nonnullis codicibus verborum: nimirum illud repetitum *οὔθ' ὅτι πλησίον* librarios in fraudem induxit, ut ab uno in alterum aberrarent. Verba autem a Cantabrigiensi servata textui inserenda sunt.

Sed multo negligentius quam hoc loco, ubi signum lacunae in edd. Aldina et Basil. notatum ponere obliti sunt, alio loco fecerunt Charterius et Kuehnius, ubi, quae Aldina et Basileensis habent verba, iis omissis locum quendam Hippocratis turpiter detruncaverunt. Legimus enim p. 726, 17 K.: *Ἱπποκράτης οὕτως φησὶν ἐν Προγνωστικῷ· σκέπτεσθαι δὲ χρὴ ὧδε ἐν τοῖσι τῶν ὑγιαινόντων, μάλιστα δὲ εἰ αὐτὸ ἑαυτῷ, οὕτως γὰρ ἂν εἴη ἄριστον, τὸ δὲ ἐναντιώτατον τοῦ ὁμοίου δεινότατον.* Lege cum Marciano, Aldina et Basileensi: *σκέπτεσθαι δὲ χρὴ ἐν τοῖσιν ὀξέσι νοσήμασι·*

πρῶτον μὲν τὸ πρόσωπον τοῦ νοσέοντος, εἰ ὅμοιόν ἐστι τοῖσι τῶν ὑγιαινόντων, μάλιστα δὲ κ. τ. λ.

P. 493, 12 K: (*Χρύσιππος*) *οὔτ' ἐμνήσθη τινὸς αὐτῶν* (sc. *τῶν ὑπὸ Πλάτωνος ἠρωτημένων λόγων*) *οὔτ' ἀντειπεῖν ἐπεχείρησεν, καίτοι πληρώσας λόγων μακρῶν καὶ ποιητικῶν ἐπῶν ὅλον τὸ πρῶτον βιβλίον περὶ ψυχῆς.* In Marciano post *λόγων* spatium inane relictum est ad explendas duodecim fere literas; sequitur *δὲ ποιητικῶν ἐπῶν*; Aldina eandem spatii vacuitatem habet pergitque omissa Particula *δέ* verbis iisdem *ποιητικῶν ἐπῶν*; item Basileensis; Charterius ex coniectura non male scribit: *μακρῶν καὶ ποιητικῶν ἐπῶν,* quod Kuehnius recepit. Laurentianus: *λόγων μακρῶν, μᾶλλον δὲ ποιητικῶν,* quod restituendum est.

P. 495, 15 locus est in edd. Chart. et Kuehn. corruptissimus. Platonem Galenus secutus docentem irascibilem animi facultatem diversam esse a concupiscibili et ratiocinante et semper huic contra illam opitulari, nunquam illi contra ratiocinantem sic pergit: *οὐδεὶς γὰρ* (*γοῦν* LM) *ἐπετίμησεν ἑαυτῷ ποτε καὶ ὠργίσθη, διότι τῶν ἀκαίρως ἐπιθυμιῶν ἀφίστασθαι προαιρεῖται. εἴπερ τις γὰρ ἐν νόσῳ τῶν ἀμέτρως συγκαιομένων ὀρεγόμενος πόμα τὸ ψυχρὸν ὁρμὴν πλεονάζουσαν, ἐντεῦθεν περὶ πόματος ψυχροῦ λογισάμενος, ὄλεθρον οἴσειν αὐτῷ τὸ πόμα, ἐσχάτην εἶτ' ἐπισχὼν τὴν ὁρμὴν, καὶ κατὰ τὰς ψυχὰς ἃς ἐπετίμησεν αὐτῷ καὶ ὠργίσθη, διότι καλῶς ἐλογίσατο; οὐδεὶς, ὡς οἶμαι, τῶν πάντων.* In hoc enuntiato nihil sanum esse, sed, quidquid attigeris, ulcus videtur. Nec tamen deest remedium, quo totus locus sanari possit. Marcianus post *ἀμέτρως* vacuum habet spatium triginta fere literarum, succedunt verba *ψυχροῦ λογισάμενος ὄλεθρον οἴσιν* (i. e. *οἴσειν*) *αὐτῷ τὸ πόμα,* deinde rursus spatium vacuum duodecim fere literarum, denique verba *ἐσχάτην · εἶτ' ἐπισχὼν κ. τ. λ.* Etiam Aldina et Basileensis duo illa spatia vacua servant, nisi quod post *ἀμέτρως* verbum *συγκαιομένων* et ante *ψυχροῦ λογισάμενος* verba *περὶ πόματος* inserta habent. Quid Charterius? Locum mutilum a Basileensibus traditum suo Marte restituit, primum eo quod adiecit verba *ὀρεγόμενος πόμα τὸ ψυχρὸν ὁρμὴν πλεονάζουσαν, ἐντεῦθεν,* quae singula si spectes, Graeca quidem sunt, sed coniuncta soloecismum plus unum efficiunt, deinde quod non curans alterum spatium vacuum inter *πόμα* et *ἐσχάτην* interiectum audacter *ἐσχάτην* cum *εἶτ' ἐπισχὼν τὴν ὁρμήν* consociavit! Sed fac illa omnia recte se habere, quae Charterius infelicissime tentavit, Kuehnius recepit; quid faciemus enuntiato, cuius et apodosis deest et protasis verbo finito caret? Marcianus non habet *προαιρεῖται. εἴπερ τις γὰρ* (Ald. Bas.), sed *προαιρεὶς δὲ αὐτῆς γὰρ,* Laurentianus *προαιρεῖται. τίς γὰρ,* quod restituendum est; nam tali interrogationi respondet *οὐδεὶς, ὡς οἶμαι, τῶν πάντων.* Idem co-

dex praebet post *τῶν ἀμέτρως* verba *διακαιομένων ἐπιθυμούντων τε πόματος ψυχροῦ λογισάμενος ὄλεθρον οἴσειν αὐτῷ τὸ πόμα καὶ βλάβην ἐσχάτην· εἶτ' κ. τ. λ.* Haec omnia optime se habent et in textum sunt recipienda. Reliquum est, ut corruptum illud *καὶ κατὰ τὰς ψυχὰς ἃς*, quod codd. praebent, emendetur. *ἃς* apparet nihil aliud esse quam repetitam syllabam extremam vocis *ψυχὰς* ideoque tollendum, quo facto demum interrogatio verbum finitum nanciscitur: *τίς — ἐπετίμησεν αὑτῷ* (sic legendum cum Marc. est, non *αὐτῷ*) *καὶ ὠργίσθη*. Sed Pluralis *τὰς ψυχὰς* fieri non potest ut locum habeat, cum de uno homine aegroto agatur; itaque mutandus videtur in Singularem *κατὰ τὴν ψυχήν*. Denique *καὶ* ante *κατὰ* positum dittographia quaedam Praepositionis *κατά* est, (quae voculae a librariis perpetuo inter se confunduntur), atque ob eam causam exstirpatur; *κατὰ τὴν ψυχὴν* autem ad *τὴν ὁρμὴν* referendum est. Iam totus locus sic refingitur: *τίς γὰρ ἐν νόσῳ τῶν ἀμέτρως διακαιομένων ἐπιθυμούντων τε πόματος ψυχροῦ λογισάμενος ὄλεθρον οἴσειν αὐτῷ τὸ πόμα καὶ βλάβην ἐσχάτην, εἶτ' ἐπισχὼν τὴν ὁρμὴν κατὰ τὴν ψυχὴν ἐπετίμησεν αὑτῷ καὶ ὠργίσθη, διότι καλῶς ἐλογίσατο; οὐδείς, ὡς οἶμαι, ἁπάντων* (sic e vestigiis Laur.).

P. 520, 5 K. Rerum, quas tractavit, capita Galenus summatim ita repetit: *τῶν μὲν γὰρ νεύρων βρόχῳ διαλαμβανομένων ἢ τεμνομένων ἐφαίνετο τὰ μὲν ἐγκεφάλῳ συνεχῆ μόρια διασῴζοντα τὰς ἀρχαίας δυνάμεις, τὰ δ' ἐπέκεινα τοῦ βρόχου παραχρῆμα καὶ τὴν αἴσθησιν ἀπολλύντα καὶ τὴν κίνησιν. οὕτω δὲ καὶ τῶν ἀρτηριῶν αἱ μὲν τῇ καρδίᾳ συνεχεῖς τὰς ἀρχαίας ἐνεργείας ἐργάζονται, αἱ δ' ὑπὸ τοῦ βρόχου διειργόμεναι τελέως ἄσφυκτοι γιγνόμεναι. καὶ μέντοι καὶ τὰ παθήματα τῆς ψυχῆς, ὅσα κατὰ τοὺς θυμούς τε καὶ τοὺς φόβους συμπίπτει, προφανῶς ἐξιστάντα τὴν καρδίαν ἐφαίνετο τῆς κατὰ φύσιν ἐνεργείας.* In enuntiato *οὕτω δὲ καὶ τῶν ἀρτηριῶν* duae res summae offensioni sunt, una, quod tempus Praesens (*ἐργάζονται*) inter Imperfecta (*ἐφαίνετο — ἐφαίνετο*), idque in dictorum repetitione positum est, altera, quod verbo finito (*ἐργάζονται*) Participium (*γιγνόμεναι*) respondet. Talia Galenus scribere non potuit nec scripsit, si codices inspexeris. In M. post *συνεχεῖς* lacuna viginti fere literarum est, paulo maior in Aldina et Basileensi; sequuntur verba *δ' ἀπὸ* (Ald. Bas.: *ὑπὸ*) *τοῦ βρ. κ. τ. λ.* Charterius interpolavit *τὰς ἀρχαίας ἐνεργείας ἐργάζονται*; interpolationem recepit Kuehnius. Laurentianus solus ipsam manum scriptoris servavit, quippe in quo legantur: *ἔτι σφύζουσαι κατὰ φύσιν* (sc. *ἐφαίνοντο*), hoc sensu: ‘Simili modo arterias, quae cordi essent adnexae, pulsare ut antea secundum naturalem constitutionem, quae autem vinculo discluderentur, pulsu omnino carere videbamus.’

P. 772, 2 K. Hippocrates, cuius de vino disputatio a Galeno laudatur, de vini differentia et usu cum alia tum haec dicit: *πτυάλου δ' ἀναγωγὸς μᾶλλόν ἐστι τοῦ*

ἑτέρου ὁ γλυκύς. καὶ οἷσι μὲν διψώδης ἐστὶ πινόμενος, ἧσσον ἂν τούτοισιν ἀνάγοι ἢ ὁ ἕτερος οἶνος, οἷσι δὲ μὴ διψώδης, οἶνος ἐπῄνηται μὲν καὶ ἔψεκται τὰ πλεῖστα καὶ μέγιστα ἤδη ἐν τῇ τοῦ γλυκέος οἴνου διηγήσει. Vinum dulce ait sputum educere magis quam aliud, minus tamen id facere iis, quibus bibentibus sitim afferre soleat (*οἷσι μὲν διψώδης ἐστὶ πινόμενος*). Iam si recte sequitur *οἷσι δὲ μὴ διψώδης*, non potest sequi apodosis, qualem in edd. omnibus legimus, *οἶνος ἐπῄνηται μὲν καὶ ἔψεκται κ. τ. λ.* Omissa igitur vera apodosis est, quae in Marciano scripta extat: *μᾶλλον ἀνάγοι ἂν τοῦ ἑτέρου*, ‘quibus vero sitim non affert, magis quam aliud ad sputa exercenda conducit’. Sequuntur deinceps in M. verba *ὁ δὲ λευκὸς οἰνώδης οἶνος ἐπῄνηται μὲν κ. τ. λ.* ‘Vinum sane vinosum album in dissertatione de vino dulci plurimum et laudatum et vituperatum est.’ Marcianum igitur secutus locum sic integrum habebis: *οἷσι δὲ μὴ διψώδης, μᾶλλον ἀνάγοι ἂν τοῦ ἑτέρου. ὁ δὲ λευκὸς οἰνώδης οἶνος ἐπῄνηται κ. τ. λ.*

Patet ex his de quibus disputavimus locis, quantis sordibus obsitus sit textus librorum Galeni de Placitis, qualis in edd. Chart. et Kuehn. est, quantoque labore opus sit ad eum perpurgandum et perpoliendum, ut tandem suum decus ac nitorem recuperet. Nec minus vero patet, ad tantum laborem perficiendum quantum adiumenti afferre possint collati libri manuscripti et editio princeps. Quodsi ad aptum codicum usum accesserit diligens observatio sermonis Galeniani — immensum paene opus dixeris —, spes est fore ut illi libri ad historiam philosophiae veterum, inprimis Stoicorum cognoscendam utilissimi ad veram manum scriptoris propius accedant. Tanto operi viresne meae sufficiant, editio illorum librorum, quam in lucem missurus sum, demonstrabit.

His rite praemissis hoc edicto pronuntiamus fasces academiae nostrae crastino die ad virum nobilissimum et summe venerabilem

D. CHRISTIANUM CONRAD. DE HOFMANN,

THEOLOGIAE PROFESSOREM PUBLICUM ORDINARIUM

prorectorem suffragiis collegarum creatum, regis nostri augustissimi potentissimi clementia confirmatum translatum iri. Is eodem die hora matutina XI in aula academica munus suum oratione publica auspicabitur. Quam ut audiatis Vestraque frequentia his solemnibus speciem et dignitatem addatis, Vos, collegae coniunctissimi, commilitones humanissimi, amici universitatis nostrae omnium ordinum ornatissimi, omni qua par est observantia invitamus.

Erlangae die III mensis Novembris a. MDCCCLXXI.

